



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Conradus I. Abbas XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

norma neque in victu neque in vestitu discedere debere præcepit; pari pietate duas singulis annis ad locum hunc Processiones, ut dicimus, nostro ex Monasterio, alteram pridie Annuntiatae, in Vigilia Assumptae Virginis alteram duci mandavit. Monasterium Curæ suæ commissum habuit annis 5, anno 1339. viam universæ carnis ingressus.

CONRADUS I. ABBAS XXX.

Quod in publica re accidere sæpe videmus, Cives, nullis hostibus urbium tranquillitatem perturbantibus, seipsos atterere & consumere; illud Conradi Abbatis temporibus nostro etiam Monasterio evenisse comperimus: Erat hoc omni hostium metu solutam, & optatâ pace fruebatur; &, ecce tibi! Sinon aliquis ex Religiosis unus, si tamen Religiosum eum dicere fas sit, tantas turbas concitavit; ut Conradi Abbatis dignitas & Monasterii salus in præsentissimum adducerentur discrimen. Ex arrogantia hominis, supremam in Monasterio dignitatem ambientis, mala omnia proficiscebantur; Monachorum partem alteram
 suas

suas jam in partes pertraxerat, alterâ Conradum fideliter sequente. Hinc animis Religiosorum tam perniciosâ contentione distractis vix ullus religiosæ disciplinæ locus relinquebatur. Bona ab utraque parte jam vendita, jam pignori data, itâ distracta sunt, ut ad extremam Monasterium penuriam redactum fuerit. Eripuit brevî Deus ex tot tantisque Calamitatibus Conradum, elapso trimestri spatio vitâ functum, præter multa alia ob id singulari laude dignissimum, quòd Curiam in Stadel-Schwartzach emerit; Sinone interim ex Monasterio ejecto. Ejus temporibus statuentem sic Ottone Episcopo Herbipolensi Parochia nostra à Parochia oppidi Schwartzach separata est.

WALTHERUS II. ab Egloffstein,
ABBAS XXXI.

Compositis his tumultibus, Waltheram hujus nominis 2dum caput suum & Abbatem Religiosi designârunt anno 1342. 2do laudatissimi regiminis anno pridie Magdaleneæ Mœnus limites suos egressus fata læta, boumque labores prostravit :